

1353.

78
27

Q. F. F. J. J.
Conclusionum Theoretico-Practicarum;
AD INSTITUTIONES JURIS,
EXERCITATIO XLVII.

1694
18

Ad Lib. IV. Tit. I.

DE

OBLIGATIONIBUS
QVÆ EX DELICTO NASCUNTUR,

2.1

Quam
PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO

DN. GODOFR. *Strauß*

Jcto & Antecessore celeberrimo, Potentiss.
Saxoniz Electoris in supremo Appellat. Judicio, nec non Se-
renissimorum Principum Anhalt. Sereftan. Consiliario Aulico Splendi-
dissimo, Facult. Juridicæ in hac Universitate ORDINARIO, Decret. Prof.
Publ. Curiz Elector. Consistorii, & Scabinatus ASSESSORE Gravissimo,

*Domino, PATRONO, ac PRÆCEPTORE suo observantissimè
colendo.*

IN JCTORUM AUDITORIO,
D. III. Decembr. M DC XCIV,
defendendam suscepit

JOH. FRIEDERICUS KAHLO, J. U. Stud.
p. t. Actuarius Zinnaviens.



WITTEBERGÆ, LITERIS JOHANNIS WILCKII, Acad. Typogr.



2. P. A. A.
Cordis hominum thesaurus
AD INSTITUTE MONTI SPURIS
EXERCITATIO XLVII
AN. MD. LXX. IN. I.

OBLIGATIONIBUS
QUAE EX DELICTO NASCUNTUR

LIBRO UNDECIMO
DE OBLIGATIONIBUS

DE OBLIGATIONIBUS
QUAE EX DELICTO NASCUNTUR
LIBRO UNDECIMO
DE OBLIGATIONIBUS

JOHANNES DE WITTEBERG
LIBERUS

WITTEBERG, LIBERUS JOHANNES WITTEBERG, LIBERUS





JESU JUVVA!

Exercitatio XLVII. ad Lib. 4. Tit. I. Instit. de Obligat.
quæ ex delicto nascuntur.

Th. I. ad Rubr.

Delictum in h. t. intelligitur in specie
ac strictè privatum de quo civiliter &
pecuniariè ferè agunt illi, ad quos ea
res pertinet. Et hoc quidem sensu con-
tradistinguitur crimini, quod publicæ
vindicte studio accusatur coram eo, qui merum im-
perium habet ad animadvertendum in facinorosos,
*L. 131. §. 1. de V. O. V. Wissenbach. ad ff. Tit. de Privat. De-
lict. th. 1.* Cæteri tamen non negamus delictum quando-
quæ in genere sumi & omnis generis maleficia ac Le-
gum transgressiones in se comprehendere. Quo qui-
dem sensu delicta sunt facta turpia, quæ legibus pun-
iuntur: vel facta improba, quibus Civilis societas læ-
ditur *Conf. Huber. in Posit. ad ff. Tit. de Privat. Delict.
th. 2.* Perindè & criminis appellatio in sensu latiori
nonnunquam ad quævis tam privata, quam publica
delicta & judicia in Jure nostro refertur, §. 7. *J. b. t. L.
3. ad SCT. Turpill. L. 2. §. fin. de Pæn. Lud. vel. Disp. 15.
ad Inst. Th. 1. Lit. a.*

A 2

Th. 2.

Th. 2. ad pr.

Obligationes ex delicto omnes ex rei. e. ipso maleficio seu facto læsionis nascuntur, hoc *pr. L. 1. ff. Si advers. Delict. jung. L. 52. ff. de Rejud. V. Wissenbach. Disput. 41. ad Instit. th. 1. Schilterus in Instit. Justin. ad h. pr. §. 1.* quatenus scil. citra partium consensum ex solo facto seu peccato obligatio hic oritur *L. 52. pr. §. 8. ff. de O. & Act. Ludov. in Comment. ad h. pr.* Interim quamvis obligatio ex delicto non sit ex consensu, quatenus adstrictio ad pœnam & rei restitutio spectatur; quoad factum tamen ipsum consensus adest in delinquente, quatenus ille vel voluntariè agit vel involuntariè, *Habn. ad Wesembec. Tit. de Privat. Delict. n. 3. in fin. vid. omninò Schilterum cit. l. §. 2.* Nec etiam obligatio tantum Civilis; Sed etiam naturalis sic suboritur, *L. 25. ff. Rer. amot. L. 1. pr. de Furt. L. 42. de V. S. Etsi enim nemo corpus membraq; sua ad pœnam conventionem obligare potest; delinquendo tamen ea utiq; obligat; cum id faciat, quod fieri non oportet *L. 121. L. 155. pr. ff. de R. J. Ludov. Disput. 15. ad Instit. th. 1. lit. B.**

Thes. 3. ad §. 1.

Furtum contrectatione perficitur *h. §. nr.* Unde in proclivi est, quod sola cogitatio furti faciendi furem non faciat *L. 1. §. Sola cogitatio ff. de Furt.* plus dicam: qui domum alienam ingressus est furandi animo, si nihil contrectaverit, furti non tenetur *L. 21. §.*

7. b. t. quamvis extra ordinem puniendus sit. L. pen. ff. de Extraord. Crim. Franciscus Balduinus in Annot. ad Instit. b. t. n. 2. 3. Mynsinger ad b. §. 1. n. 1. Pariter verbis, infitiando; vel scriptura furtum non fit, L. 52. §. 10. L. 67. pr. de Furt. Huberus in Posit. ad Instit. b. t. §. 7. Ex adverso si contrectet, licet loco rem non moveat, furti reus est L. 27. §. fin. ff. de furt.

Th. 4. ad eund. §.

Non' quælibet tamen contrectatio furtum conficit; sed pro formali requirit, ut fraudulosa sit h. §. Dolus ergo seu improbus furandi animus & sic dolosa alienæ rei apprehensio furti essentiam constituit. Conf. Mynsinger. ad b. §. n. 5. Fraus verò ista se se exserit & committitur tam in mente furis, quam in re ipsa, quatenus fit injuria Domino, cui res aufertur: hoc enim invito ut furtum fiat, omninò supponendū est, vid. §. 8. infr. b. t. Pacius in Analys. ad b. §. n. 1. De cætero dolus qui delictum hoc intrat & integrat non ampliari; sed restringi potius debet. Ita si quis ex acervo frumenti modium vel ex armario, cella, apotheca, &c. res aliquas abstulerit, in tantum saltem actione furti tenetur quantum abstulit L. 21. pr. §. 5. §. 6. L. 22. §. 1. D. de furt. Wissenb. Disp. 41. ad Instit. t. b. 3.

Th. 5. adict. §.

Finis furti est, ut fiat lucri faciendi causa b. §. 1. L. 1. §. 3. de Furt. Quod si ergo quis alio fine fortè contumeliæ causa vel nocendi gratia rem alterius contrectet, non



non furtum committit, sed vel injuriarum actionem
incurrit vel Lege Aquilia tenetur L. 39. L. 53. de Furt. L.
5. §. ult. ad L. Aquil. Pariter qui ancillam meretricem
abripit aut celat furtum non facit. Ratio est, quia hic
non factum respicitur; sed faciendi causa: causa au-
tem faciendi in praesenti libido fuit non furtum, L. Ve-
rum est 39. ff. de Furt. Aliud tamen obtinet in ancil-
la non meretrice, quam si quis abstulerit propter in-
terversum ejus usum furti omnino tenetur L. 82. §. 2.
ff. eod. Ratio diversitatis est, quod qui meretricem ab-
ducit non in alium usum, quam destinata est, aufert
adeoque furtum uti modo assertum dici nequeat: at
qui ancillam non meretricem libidinis causa surripit,
propter interversum ejus usum Fur omnino dicatur,
Ludvvel. Disp. 15. ad Instit. t. 2. lit. D. ibiq. cit. Arumaus.
Tb. 6. adhuc ad §. 1.

Furtum naturam probrum est b. §. nr. in fin. L. 42. de
V. S. Exod. 20. v. 15. Nec enim receptum passim Juris
naturalis principium: quod Tibi non vis fieri, alteri
ne feceris ullibi clarius, quam in materia furti eluce-
scit. Conf. Gvilielm. Grot. de Princip. Jur. Natur. Cas.
13. §. 2. Et quamvis quarundam gentium barbaries
furtum non prohibuit; id tamen Legem naturae non
immutat. Certe Draco Atheniensis etiam furtum o-
lusculi morte judicavit expiandum: & Solon quam-
vis hujus Sangvinarias leges averfaretur; ne bubuli
quidem stercoris furtum sine iudicio esse voluit,
Francisc. Balduinus in Annot. ad b. t. Instit. n. 6. Köppen
lib.

l. b. 2. Obs. 67. Sed inquis: Furtum supponit Domini-
um; hoc verò demum Jure Gentium postea introdu-
ctum est, *L. 5. ff. de F. & F.* respondeo Juris Gentium
ibidem dominium dicitur, quoad modos acqviren-
di, Conservandi & illud iterum amittendi: quoad
originem & introductionē autem ad concessionem
divinam idem dominium rectius refertur. Atqui &
Lex naturæ dictamen rationis est, gubernans & ea,
quæ juræ positivo introducta sunt. Continet enim
jus naturæ generalia quædam axiomata & regulas,
quæ tamen in exercitio applicari nequeunt, nisi posita
certa actione humana aut certo hominum statu B.
*Ziegler. ad Grot: Lib. 1. Cap. 1. §. 10. Huber: in Posit.
ad Instit: h. t. §. 17.* Porro obvertis: Israelitæ spolia-
runt Ægyptios Dei jussu, *Exod. 12. v. 35. seqq.* qui id
permissurus haud fuisset, si Juri naturæ adversaretur
furtum. Sed huic dubio satisfacit *Wissenbach. Disp.
41. ad Instit. th. 5.*

Th. 7. ad §. 3.

Dividitur furtum in manifestum & nec manife-
stum h. §. Illud dicitur, quod manifestatur antequam
Fur ad locum destinatum perveniat, quod fieri solet;
si quis in ipso furandi actu vel etiam statim post actū
fuerit deprehensus in loco ubi furtum commisit: Vel
etiam si locum istum, egressus deprehendatur ante
quàm eo, quo destinavit, rem perferret *L. 3. §. 2. de
Furt. ubi & accursus & acclamatio pro deprehensio-
ne*

ne habentur jung. *Heinliche Hals-Gerichts-Ordnung Art. 157. 158. & 160.* Et clamor quidem propterea requiritur, ut quem manibus apprehendere non possumus, apprehendamus visu & voce, Ex adverso furtum nec manifestum est, cum fur non deprehenditur nec in actu furandi, nec in loco ubi furtum commissum aut extra eum locum, dum rem perferat, quo destinavit vel etiam non acclamatur. Multò magis itaq; furtum nec manifestum est, ubi fur demum deprehensus in loco, ad quem rem perferre destinaverat: quoniam actus furandi jam finem habuit.

Th. 8. ad eundem §.

Divisio ista furti in manifestum & nec manifestum hodie etiam usum suum habet: Quamvis enim Oldendorpius de *Action. Class. 7. Act. 3.* distinctionis istius nullum hodie usum amplius superesse existimet eò, quod moribus hodiernis plerumq; non ordinariè; sed extraordinariè propter furtum commissum agatur adeoq; fur æque nec manifestus ac manifestus pari pœna plectantur; tamen ejus sententia nobis haud probatur. Præterquam enim, quod ex Constitutione adhuc Carolina *art. 157. & 158.* etiam quoad pœnam distingvatur furtum manifestum & nec manifestum *öffentlicher und heimlicher Diebstahl/ Conf. Ludwell Disput. 15. ad Instit. th. 2. lit. J. Eckolt. Tit. de Furt. §. 2. Lauterbach. in Comp. ad ff. Tit. de Furt. p. m. 1038.* nullibi distinctio ista reperitur deinceps

cēps ſublata. Nec quicquam facit, quod fures hodiē
 extra ordinem pœna capitali puniantur; inde namq̄;
 dominus, cui furtum factum, non impeditur, quo
 minus civiliter furem in duplum vel quadruplum
 convenire queat: cum judicia ordinaria cessent po-
 tius, quam extincta sint *Com. Petrus Theodericus*
Diff. 2. Colleg. Crimin. th. 2. lit. 2. Dissent. Carpzov. p. 2.
Pract. Crim. quæst. 98. n. 8. Illud verò lubentes largi-
 mur, quod quoad pœnam, si extraordinariē per mo-
 dum inquisitionis procedatur, inter furtum manife-
 stum, & nec manifestum nulla hodie sit differentia
Jung. Constit. Elect. 32. p. 4. quæ non distingvit, Schultz.
in Synops. ad Instit. h. t. lit. C. Noricus ad h. §. Grœnevve-
gen ad §. 5. J. h. t.

Th. 9. ad §. 4.

Distinguebatur etiam olim furtum in conceptum,
 oblatum, prohibitum & non exhibitum. Verum istæ
 species actionum potius cohærentium, quam ipsius
 furti jam tempore Justiniani à foro recesserunt. vide
 h. §. (Qui antiquitates amant possunt inspicere Gel-
 lium *Lib. 11. Noct. Attic. cap. 18. & lib. 16. cap. 10.* Rosin.
lib. 8. Antiquit. Roman. pag. m. 1294. Borcholt. *item* Ba-
 chov. & Vinnium *in Commentar. ad h. §.*) Id quod ta-
 men quoad formam requisitionis secundum vete-
 rem observantiam intelligendum. Nam & hodiernum
 perquisitio furti in ædibus alienis auctoritate Magi-
 stratus adhibitis personis publicis, si urgentia adsint
 indicia, institui potest *Bocerus Decis. 114. Nicol. Boeri*

59
Decis. 174. Schneidevvin. ad b. §. Gerhardus ad In-
stit. Decad. 17. q. vest. 4. Brunnemannus ad L. 18. ff. de
in Jus voc. n. 4. Köppen Decis. p. 1. q. vest. 8. Quam qui-
dem inquisitionem ad Jurisdictionem inferiorem re-
fert Berlich. p. 1. Decis. 120. n. 6. seqq. Quomodo verò
contra eum procedendum apud quem res furtiva
reperitur vide fuse Carpz. P. 3. Pr. Crim. q. vest. 122. n. 39.
Th. 10. ad §. 5.

Pœna furti secundum diversitatem temporum varia fuit.
Olim namq; liberi homines furtum committentes verberibus
casi addicebantur ei, cui furtum erat factum Gellius *Lib.*
II. Noct. Attic. cap. 18.; Servi autem furati è Saxo præcipitaban-
tur. Et hæc causa est, cur in §. nr. ampliationem ratione sub-
jecti quoad noviolem pœnam adiecit Imperator. Sed verò
pœnam manifesti furti severiorem nimis rati, Prætores, in
quadruplum eandem mutarunt, & in furto nec manifesto
dupli pœnam sufficere existimarunt. Pœna ergo Jure Justi-
nianeo furti manifesti est quadrupli, nec manifesti dupli h. §.
Ratio verò, quod in illo gravior sit pœna constituta, quam in
hoc, ea reddi potest, quod delicta palam commissa majori
scandalo cedant adeoq; grandiora reputanda, quam quæ clam
& secretò perpetrantur *pr. J. de Vi bon. rapt. L. 2 §. 24.* Ludvel.
Disput. 15. ad Instit. lb. 3. lit. D. Postea Imperator Fridericus z.
F. 27. §. Si quis quinque 8. de furti pœna ita sancivit :
Si quis quinque solidos valens, aut plus fuerit furatus, la-
queo suspendatur; sin nimus scopis & forcipe excorietur &
tundatur. Quæ sanctio capitalis pœnæ in *Ordinas. Crim. Ca-*
roli V. art. 159. confirmata & Jure Saxon. *PK. Lib. 2. art. 39. §.*
p. 4. Constit. 32. approbata, Conf. Schultz. *in Synops. ad Instit.*
b. r. lit. C. Carpzov. *ad dict. Const. §. p. 2. q. vest. 79.* Per solidos
verò usum hodiernum respicientes intelligimus aureos Un-
garicos

garicos, seu Ducatos vide Carpzov. p.4. Constit. 32. Def. 1. seq. & p. 2. quest. 78. num. 25. seq. Bachovius ad Tr. Vol. 2. Disp. 30. tb 3. lit. G. in fin. Arumæus Exerc. 17. tb. 7. Hahn ad Wesemb. Tit. de Furt. num. 14. 15. Conf. Eckolt. Tit. de Donat. § 10.

Tb. 11. adh. § 5.

Capitalis poena furti hodiernis moribus recepta injusta haud est. Quamvis enim sint haud pauci, qui poenā capitalem laquei, ut duram nimis ac proportionem ad delictum longe excedentem, avertentur ac in totum damnent, Videtur Amesius Lib. 5. de Conscient. Cap. 2. Bachov. ad Tr. Vol. 2. Disp. 30. thes. 3. Lit. G. & ad Wesemb. Tit. de Furt. Anthonius Matthæi de Crimm. Lib. 48. Digest. Tit. 1. Cap. 2. num. 6. & noviter Wissenbach. Disput. 41. ad Instit. tb. 10. Eckolt. in Compend. Pandect. Tract. Tit. de Furt. §. 12. tamen sententiæ nostræ nihilominus inhaeremus. Nec enim ulla hic injustitia conspicietur, si recte expendamus in statuendis & æstimandis poenis nō solum damnum illatum esse considerandum; sed & ipsam actus vitiositatem respiciendam. Accedit, quod Principes potestatem habeant coercendi subditorum delicta, prout viderint efflagitare commune Reipubl. bonum. Crescentibus namq; delictis merito etiam exasperandæ poenæ sunt Struv. Exerc. 48. ad ff. tb. 23. Carpz. in Pract. Crim. p. 2. Quest. 77. Benè & accuratè hanc in rem commentatur Vinnius ad h. §. num: 4. his ferè verbis: *Ille vera proportio, quæ debet esse culpam inter & poenam non spectat absolutè & nudè materiam delicti, sed habet respectum ad hunc finem, ut inquieto sit, vita communis & imperturbata maneat civium inter se societas. Quare si talis sit poena, cujus metu cives à delinquendo non videantur revocari*

B. 2. distributio poss.



405
posse, ea proportionata non erit, quamvis alias per se & ra-
tione damni, quod illatum est, satis sit gravis. Neque enim
proportio hac oxigit, ut materia pœna ex aequo respondeat
materia culpæ b. e. ut bonum, quo pœna privatur,
neutiquam excedat bonum illud, quo delinquens privavit
proximum suum: sed æstimandum esse ex fine, publico scilicet
fine & transgressione leges atque inobedientia.

Thes. 12. ad §. 6.

Usus etiam furtum fit h. §. & §. 1. supra h. t. si nempe
quis ad alium usum rem adhibeat, quam in quem ab ini-
tuo fuit concessa, vel lex contractus abutendo violetur.
Exempla bene multa ac plana occurrunt in b. §. vide si-
milia apud Gellium *Lib. 5. cap. 17.* Valer. Maxim. *Lib. 8. cap. 2.*
Unde oppidò patet, quod contrectare in hac materia
furti non tantum is intelligatur, qui rem amovet & au-
fert; sed etiam qui alia quacunque ratione fraudulenter
& lucri faciendi animo eam contrectat *L. 26. §. fin. ff. de
Furt.* Sed quid faciemus Scævola in *L. 1. §. 15. ff. Si is qui te-
stam. lib. esse iuss. & c.* qui possessionis furtum fieri adstru-
it & si nullus adsit possessor furtum fieri negat? Respon-
deo discrimen hic esse faciendum inter furtum ipsius
rei: & usus ac possessionis. Priori casu non potest furtum
dici commissum; nisi possessio simul & usus intervertantur,
possessio enim & usus sunt pars rei simplicior, sine qua
nullum rei furtum committi potest: posteriori solius usus
per se furtum fieri potest, quatenus ad alium usum, quam
à domino erat concessus, adhibetur Conf. Ægidius Hor-
tens: ad §. 1. *J. h. r.* pag: m. 369. De cætero id quoad pœ-
nam in hoc articulo advertendum, quod hic non verum
rei pretium; sed solus usus duplicetur *L. 12. §. fin. L. 46.
§. 1. ff. de Furt.*

Th. 13. ad eund. §.

Moribus hodiernis creditor aut depositarius re pigno-
rata

rata aut deposita utentes, aut commodatarius rem
 commodatam aliter, quam utendam accepit, usurpans,
 actione tantummodo civili in id, quod ejus qui pignori
 dedit, deposuit aut commodavit, interest, id factum
 non esse, conveniuntur tradente Vinnio ad h. §. num. 1.
 Grænevvegen *de Legib. abrog. ad hunc & seq. §.* item
 ad §. 16. *infr. b. r.* Jure pariter Saxonico commodatarius
 ultra constitutos dies vel etiam in alium modum rem
 detinens commodatam furti non tenetur: sed ad inter-
 esse duntaxat obligatur *LN. Lib. 3. Art. 22. pr.* Schultz *in*
Synops. ad Instit. b. r. lit. F. Ita & si Studiosus vel alius con-
 ductor equum ultra locationis tempus retineat, furtum
 revera non committit: cum ipsam eodem pretio recon-
 duxisse videatur Noricus ad §. 7. *f. b. r.* Poenam suspendii
 ergo hic exulare in aprico est, extraordinariam tamen
 quandoque locum invenire ex *art. 170. arguit* Dn. Hoppius
in Commentar. ad b. §. Id quod de dolosa retentione re-
 rum commodatarum vel conductarum exaudiendum erit.
 Secus ergo in non fraudulenta res se habet, utpote quan-
 do commodatarius equum commodatum ad longius
 iter ultra tempus conventum retinet & serius, quam ab
 initio dixit ab itinere redit vide Schultz, *cit. l. lit. F.*

Tb. 14. ad §. 7.

Furtum quodlibet sine affectu furandi non com-
 mittitur h. §. Quod & supra ad §. 1. tractavimus. Hic vero
 iterum erat repetendum, quoniam duriori precedentis
 §. dispositioni limitationem præbet. Nimirum cum
 durum nimis esset, ut in exemplis præced. §. allatis actione
 furti poenali quis teneretur, subjicitur hoc oppido illum
 rigorem cessare, si quis citra animum fraudulentum cre-
 dens dominum facile permissurum liberiolem usum, re-
 commodata ultra limites conventionis fuerit usq. Bachov.
in Comment. ad b. §. Quam in rem termini habiles facile
 sup-

201
supponi possunt, utpote si inter commodantem & com-
modatariū eximia amicitia intercesserit, vel ille hinc alias
rem ad ejusmodi liberiores usum concedere solitus fue-
rit arg. L. 46. §. Recte 7. ff. de furt. Conf: Ludvvel, in *com-
mentar: ad b. §.* hæc quidem difficilius obtinebunt in pi-
gnore & deposito: quippe quorum natura ita comparata,
ut ne quis iis utatur, nihilominus tamen ex circumstan-
tiis suspicio furti pariter cessabit, quam in rem vid. L. 76.
pr. ff. de Furt. & Bachov. c. l.

Th. 15. ad §. 8.

Qui credit invito se domino rem contrectare, volente
autem id fiat, æquè furtum non committit h. §. Nec enim
pro fure æstimandus, qui voluntatem domini habet, L.
48. §. 2. ff. de Furt. & in privatis delictis illud perpetuò ob-
tinet, quod in volentem non committantur, L. 1. §. 5. ff. de
Injur. L. 9. §. 1. de aq. & aq. pluvi. arc. Conf. Balduinum ad h.
l. p. m. 576. n. 45. Quæ omnia tamen quoad effectum & de
competentia actionis furti sunt intelligenda: cæteroquin
animus furandi & essentia furti adest, fraudulenta nem-
pe rei alienæ contrectatio lucri faciendi gratiæ: ut hinc
furtum quantum in fure cernitur formaliter sit admissum
quamvis furti agi non possit & ita effectus ortus cesset,
L. 46. §. Recte penult. ff. de Furt. Conf. Bachov. ad b. §. Hube-
rus in *Posit. ad Instit. h. t. §. 10.* Fallit ergo Ludvvelus in
Comment. ad h. §. qui ejusmodi contrectantem nulla ra-
tione pro fure habendum existimat: cujus rationes & tex-
tus Juris allegati ad effectum referendi veniunt. Nec
quicquam facit ejus argumentatio ex d. L. 46. §. pen. quòd ibi
diferè statuatur, ejusmodi contrectantem furti obligatum
non esse, qui autem furti obligatus non sit, nec furtum com-
mississe dici possit: illud namq; de effectu furti non primo,
sed orto seu actione furti intelligendum venit. De cætero
quod quæstionem huic §. subjunctam attinet, de ea oppidò
labo-

laborandum non est, quia de servo agit: quale exemplum hodiè usu non venit vid. interim *L. 20. de Furt. Mynsing. & Bachov. ad h. §. in fin.*

Tb. 16. ad §. 9.

Liberorum etiam hominum quandoq; furtum fieri potest h. §. nr. *L. 14. §. 13. L. 38. ff. de Furt.* Conf. Hortens. *ad h. §.* Quamvis enim liberum corpus nec in dominio nec possessione nostra sit, nec etiam æstimationem recipiat, *L. 3. ff. Si quadr. pauper. &c.* tamen quoniam liberi in potestate Parentum & quasi sub dominio eorum sunt, ac ab iis Jure Quiritium causa seu clausula Potestatis Patris adjecta, quæ jus quoddam dominio simile tribuit, vindicari queunt, *L. 1. §. 2. ff. de R. V.* Conf. Cyprianus Regnerus ab Oostergera *ad d. L. 1. §. 2.* illorum etiam furtum fieri potest *h. §. nr. Myns ad h. §. n. 1. seqq.* Bachov. *ad h. §. Colleg. Arg. ad Tit. ff. de R. V. tb. 33.* Nec verò ipsius liberi corporis hic fit æstimatio; sed quod interest Patris filium subreptum non esse æstimabitur & multiplicabitur Conf. Ludvv. *ad h. §.* & quoniam vi Patris potestatis actio hæc locum invenit, Matri eadem non competit *L. 38. ff. de furt.* Patri vero etiam ex judicio publico Legis Fabiæ de Plagiari: si nempe celandi causa filius fuerit surreptus, agere licebit *§. 10. infr. de Publ. jud. Wissenb. Disp. 41. ad Instit. tb. 21. L. ult. C. ad L. Fab. de Plag. Schneidevv in Comm. ad h. §. n. 2.* Ex eadem ratione quoniam & uxor vindicari posse à nonnullis statuitur *c. 11. X. de Præsumpt. Struv. Exerc. 11. ad ff. tb. 3. adjecta* nempe causa ex Jure divino furti quoq; actio, si eadem surrepta, locum invenire videbatur. Verum cum quod de uxoris vindicatione modò adductum altioris sit indaginis & longius petitem, mallem cum Wissenb. *ad Tit. de R. V. tb. 3.* sustinere, quod ex hac causa actione præjudiciali vel interdicto exhibitorio tutius experiri liceat. Unde porrò inferrem, quod actio furti in hoc articulo non facile usu veniat.

Tb. 17. ad §. 10.


Potest dominus furtum etiam rei suæ committere h. §. quæ thesis illustratur exemplo debitoris, qui postquam rem suam creditori pignori dedit & tradidit, eandem subtrahit & creditori aufert h. §. Et hoc etiam procedit, si debitor nam aliquam rem ex pluribus rebus pignori datis surripuerit



orit. Quamvis enim reliquæ res relictæ creditori solvendo
sint, furti tñ. agatur *L. eum qui emit. ff. de Furt.* Quod quidem
assertum mirum ac absolum videri poterat. Recogitanti
enim furti essentiam supra excussam facile in mentem ve-
niet, quod alienæ non propriæ rei furtum fiat. §. 6. *ibi rem a-*
lienam amovet supra b. t. L. 14. §. 5. arg. L. 45. ff. de Furt. Eckolt.
ad dicit: Tit. de Furt. §. 6. Colleg. Arg. eod. tñ 12. Verum hic ap-
primè est distingvendum inter ipsam rem seu proprietatem
ejus: & ejus possessionem. Si illam spectemus dominus
auferendo rem pignoratam creditori furtum propriè
non committit. Cui rei argumento præprimis inservit,
quod per ejusmodi factum surreptionis res non evadat ac
reddatur furtiva. Quod exinde patet, quia eadem nihilo-
minus usucapi potest tradente Paulo Cassii sententiam
secuto in *L. Sequitur 4. §. 21. ff. de Usucap.* hisce verbis: *Si*
rem pignori datam debitor surripuerit & venderit, usucapi eum
posse Cassius scribit: quia in potestate domini videtur pervenisse,
qui pignori dederit; quamvis cum eo furti agi potest. Balduinus
ad b. §. n. 5. Obstat quidem graviter *L. nlt. ff. eod.* Sed bene
respondet Ludvv. in *Commentar. ad §. 3. Inst. de Usucap. Conf.*
Zoesius ad ff. eod. num. 32. Si verò ad possessionem attenda-
mus ejus utiq; hic furtum committit dominus: quippe qui
in creditorem possessionem transtulit & animum possidendi
dimisit. Dum ergò hic invito illo possessionem involat & au-
fert, aliquid alieni contrectasse & ita furtum fecisse recte
dicetur. *Conf. Giphani. & Ritte: shuf. ad b. §.* Cæterum ex
hinc concludit Vinnius *ad b. §.* quod minus propriè hic de-
bitor furtum rei suæ faciat. Cum eatenus saltem faciat,
quatenus id, quod in ea re creditoris est, intervertere cona-
tur. Id deniq; notari meretur, quod in casu *b. §.* furti actio
intentetur ad id quod interest *L. eum qui 14 § 6. L. 47. pr. ff.*
d. Furt. & hoc ipsum duplatur vel quadruplatur. Si vendi-
dero *8. §. 1. ff. de Furt. Vid. Wissenb. Disp. 41. ad Instit. tñ. 14.* ubi
quod non domino agente furti id quod interest excedere
posse verum rei pretium, insimul adjicit.

TANTUM.






ULB Halle 3
005 361 702



VD 17





1353

787
27

1694
10

21

Q. F. F. J. J.
Conclusionum Theoretico-Practicarum,
AD INSTITUTIONES JURIS,
EXERCITATIO XLVII.
Ad Lib. IV. Tit. I.

DE
OBLIGATIONIBUS
QVÆ EX DELICTO NASCUNTUR,

Quam
PRÆSIDE
VIRO MAGNIFICO

DN. GODOFR. Strauß/

Jcto & Antecessore celeberrimo, Potentiss.
Saxoniz Electoris in supremo Appellat. Judicio, nec non Serenissimorum Principum Anhalt. Servestan. Consiliario Aulico Splendidissimo, Facult. Juridicæ in hac Universitate ORDINARIO, Decret. Prof. Publ. Curiz Elector. Consistorii, & Scabinatus ASSESSORE Gravissimo,
*Domino, PATRONO, ac PRÆCEPTORE suo observantissimè
calendo.*

IN JCTORUM AUDITORIO,
D. III. Decembr. M DC XCIV.
defendendam suscepit

JOH. FRIEDERICUS KAHLO, J.U. Stud.
p.t. Actuarius Zinnaviens.



WITTEBERGÆ, LITERIS JOHANNIS WILCKII, Acad. Typogr.

